

ARTICULUS VII.

MULTIPLICI NOMINE CUIQUI FORUM SORTIRI DATUM EST.

XXV. Quamvis omnium Ecclesiasticarum causarum, quæ in singulis emergant Diœcesibus, nonnisi Episcopus Diœcesanus iudex sit ordinarius, potest tamen una eademque persona plura, variâque forâ sortiri peculiaribus quibusdam titulis: nempe *Domicilii, Originis, Contractus, Delicti, Rei controversæ, Beneficii, Successionis, Prorogationis*, ac demum *Privilegii*: Gagliardus *ibid. Tit. IX. (**)* et *Lege XXXII. Tit. II. Part. III. (*)*

XXVI. Ac 1. dicitur quis alicubi domicilium constitutum habere, ubi multis annis incoluerit, atque in ejus animo voluntas inhæreat ibi perpetuo commorandi: id quod ex mora decennii dignoscitur, et ex majoris saltem suorum bonorum partis in domicili locum invectione. Igitur potest quis in sui domicili foro conveniri, quinimo ex aliena etiam Jurisdictione licet incolas quoscunque in domicili forum trahere: *Leg. V. Dig. de Judiciis.*

2. Originem constituunt natales: unde ille Originis locus habetur, ubi quis ex parentibus ibi fixum habentibus domicilium natus sit. *Cives enim in primis facit Origo*: *Leg. VII. Cod. de Incolis.* Atqui ut quis ad Forum Originis trahatur, satis non est, ut ibi fuerit progenitus, sed etiam requiritur, ut ibi præsens sit: neque enim a loco, ubi jamdiu sibi constituerit domicilium in natali solo nisi præsens ibidem sit, in jus vocari potest: Fagnanus *ad Cap. 1. de Foro Compet. num. 21.*

3. Ratione Contractus potest quis compelli ad satisfactionem in ejus loci foro, ubi contrahendo onus subiit satisfaciendi. Qua de re tutori, curatori, et negotiorum gestori, ubi tutelam, curam, negotiaque gesserunt, ibi rationes reddendæ sunt: *Leg. I. Cod. Ubi de Ratiociniis, Leg. XXXVI. XXXVIII. L. et CII. Dig. de Judiciis.*

4. Ratione Delicti potest quis denunciari, legitimisque pœnis adfici in loco, ubi delictum, vel inchoatum, vel commissum est: *Leg. I. Cod. Ubi de Criminibus*, et Justinianus *Novell. LXIX. cap. 1.* Idem quoque Canones efferunt, ac præsertim apud Gratianum *Can. IV. et V. Caus. 6. Q. III. Innocentius III. Cap. 14. de Foro Compet. et Cap. 2. de Privilegiis.*

5. Forum rei controversæ quis sortitur quantum ad actiones reales, atque adeo etiam mixtas, scilicet personales in rem scriptas. In his datur cuius actio adversus quoscunque possessores, licet alibi domicilium, originemque habeant: *Leg. XXXIX. et L. Dig. de Judiciis.* Abbas in *Cap. ult. de Foro Compet.*

6. Eadem Beneficarii Fori ratio videtur esse: scilicet Clericus in controversiis suum Beneficium spectantibus legitime in foro loci, ubi illud situm est, convenitur: *Cap. 3. de Tempor. ordinat. in VI. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 3.*

7. Ratione Successionis hæres licet absens, in proprio defuncti Testatoris Foro conveniendus est: *Leg. XIX. Dig. de Judiciis*; atque adeo lis cum defuncto incœpta, in eodem foro ipsi suscipienda est: *Leg. XXIV. et XXXVI. ibid.* Ubi enim hæreditatem adit, cum defuncti creditoribus veluti contrahere videtur.

8. Ratione Prorogationis: scilicet quum quis Jurisdictioni Judicis incompetentis, ad cujus forum deductus est, litem coram ipso contestando, se subjicit. *Leg. I. et II. Dig. de Judiciis, Leg. XV. et XVIII. Dig. de Jurisdic.* Porrò Clerici laici judicis jurisdictionem prorogare vetantur: at dumtaxat in iudicem incompetentem possunt consentire, quum is Persona sit Ecclesiastica, et Episcopi Diœcesani voluntas accedat: *Cap. 18. de Foro Compet. (**)* Idem quoque de tempo-

ralibus laicorum caussis intelligi oportet; quamvis enim ad Ecclesiastici judicis manum deductæ sint, nihil exinde jurisdictioni ejus accedit; imò eo ipso Actor sua cadet actione, et processus tanquam in irritum factus revocabitur: *Leg. X. Tit. I. Lib. IV. Novæ Recop. (*)*

9. Postremo Forum Privilegii sortiuntur Monachi, et regulares, qui speciali Sedis Apostolicæ prærogativa ab Episcopali jurisdictione sunt exempti; licet in multis adhuc Episcopis ipsis parendum sit: uti *Lib. I. Tit. ult.* exposuimus. Sunt quoque et Clerici sæculares nonnulli, qui ab Episcopali foro exempti forum habent Privilegii. Quinam verò vel Sæcularium, vel Regularium sint, qui hoc fruantur privilegio, videsis Gagliardum *Instit. Canonic. Lib. III. Tit. XII. et XIII.* ubi hæc copiose satis, ac erudite explicantur.

(**) XXVII. Profecto Hispani Cathedralium Ecclesiarum Canonici, Monachorum exemplis exstimulati simul ac regularem, quæ S. Augustini dicta est, disciplinam receperunt, sæculo nimirum undecimo ad exemptionum adsequenda privilegia properarunt. At longe diversa est Monachorum, ac Canonicorum exemptio; illa quippe plena est, et nihil pene relictum in quo Episcoporum jurisdictioni Monachi subsint etiam post Tridentinum de quo *Lib. I. Tit. XXXI.* hæc verò criminales ut plurimum tantummodo caussas respicit, ita ut in hujusmodi caussis Episcopus in Canonicos procedere nequeat, nisi adjunctis sibi duobus e Capitulo, ab ipso in unoquoque anno adsignandis: *Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 6.* illa mirabilis est, et toti retro antiquitati ignota, ac contraria, hæc nedum antiquæ Ecclesiasticæ disciplinæ non est adversa, quin et primigeniæ Conciliorum doctrinæ conformis. Episcopus enim nonnisi collecto Presbyterorum cœtu Clericorum delicta examinare, et sententiam in eos ferre solebat. Ita decrevit Syn. Hispal. II. *Can. VI.* his verbis: *Juxta Priscorum Patrum Synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilii examine deiciendum quemlibet Presbyterum, vel diaconum audeat.* Porrò antiquorum Patrum sententiæ exstant in Syn. Carthag. I. *Can. XI.* et Carthag. II. *Can. X.* Consonat. Syn. Tolet. XI. *Can. VII.* Brac. III. *Can. VII.* et Tolet. XIII. *Can. II.* Imò expedire admodum ita fieri censuit eadem Syn. Hispal. II. *ibid. Episcopus enim, ait, Sacerdotibus, et Ministris solus honorem dare potest, auferre solus non potest.* Et sane, audierant quippe sanctissimi illi Hispaniarum Patres conquestum in eadem Syn. Hispal. eodemque *Can. Fragitanum Cordubensis Ecclesie Presbyterum a Pontifice suo injuste dejectum, et innocentem exilio condemnatum; et quod multi sint Episcopi, qui in discussos potestate tyranica, non auctoritate Canonica damnant; et sicut nonnullos gratiæ favore sublimant, ita quosdam odio, invidiaque permoti humiliant, et ad levem opinionis auram condemnant.* Experientia noverant, quod quidam *ex fratribus (Episcopis) plus livore odii, quam correctionis studio subditos inscquentes, dum se simulant spiritualem eis adhibere correctionem, indiscretam subito adferunt mortem, dum occultis eos judiciis sub pœnitentia puniunt:* ead. Syn. Toletana XI. laud. *Can. VII.* Nec ignorabant, quosdam *ex Fratribus tantis cædibus in honoratos subditos effervesce, quantis poterant atrocitatum promereri personæ:* laud. Synod. Bracar. III. *ibid. (*)*

CAPUT SEPTIMUM.

DE JUDICE.

I. Judex proprie dicitur, qui ita judicat, ut in eo publico munere fungatur. Et sane judicandi munus publicum est: *Leg. LXXVIII. Dig. de Judiciis.* Quare

Judices omnes dicuntur habere notionem, h. e. facultatem cognoscendi jure publico constitutam: argum. *Leg. V. Dig. de Judic.* (**). Unde Judicium institutio Supreme Potestatis prerogativa est; qua tamen diuturna temporis prescriptione nonnulli Locorum domini potiuntur in Hispania, eamque ratam habuerunt Reges Nostri *Leg. XIII. Tit. II. Lib. I. Fori Judic. Leg. II. Tit. IV. Partit. III. et Leg. I. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop.* qui si fuerint Ecclesiasticæ Personæ, non ideo possunt Judices Clericos ibidem instituere: *Leg. VIII. Tit. III. Lib. I. Novæ Recop.* (*) Improprie Judices dicuntur Arbitri, qui ex consensu litigatorum, et compromisso eliguntur: (**). *Leg. XXV. Tit. I. Lib. II. Fori Judic. et Leg. I. et XXIII. Tit. IV. Partit. III.* (*) Profecto *privatorum consensus Judicem non facit: Leg. III. Cod. de Jurisd. omn. Judic.* Adpellantur tamen Judices propter adfinitatem, quam cum veris Judicibus habent, eo quod partibus Judicis fungantur, et Arbitria ad judiciorum similitudinem redacta sint: *Leg. XIV. Cod. de Judiciis.* (**). Horum porrò duo sunt genera, Arbitrorum, ii scilicet, qui ab utraque litigantium parte ea conditione eliguntur, ut servata omninò Judiciorum forma procedant; et Arbitratorum, hi nimirum, qui ad componendâ christiano more, et Evangelicæ charitatis regulis, ex utriusque quoque partis consensu deputantur: *Leg. XXIII. Tit. IV. Partit. III. (*) (1)*

II. Judicis nomen aliquando generatim usurpatur; scilicet ut omnes complectatur, qui cognoscendi, et judicandi potestatem habent, sive illam jure Magistratus, aut vi alienjus jurisdictionis exercent: *Leg. I. Dig. de Judic. tot. Tit. Cod. de Jurisd. omn. Judic.* (**). et *Leg. I. Tit. IV. Partit. III. (*)* sive jure nudæ notionis, uti in Jure Civili Judices pedanei, in Jure verò Canonico Judices delegati. Atque hinc patet quidnam discriminis statuendum inter Judicem Ordinarium, et Delegatum; qua de re jam egimus *sup. Tit. III.* ubi de Judio Ordinario, et Delegato: (**). Videtis *præf. Leg. I. (*)*

III. Porrò Judices Ordinarii proprie, ac primario sunt soli Episcopi, quibus veluti *essentialiter* totius Diocesæ jurisdictionis convenit: *Cap. 7. de Officio Ordinarii in VI.* Vicarii Episcoporum Generales etiam Ordinarii dicuntur: (**). uti in Syn. Palent. an. 1338. *Cap. 1.* et in Colect. Tarracon. an. 1591. *Lib. I. Tit. XII. cap. 1. (*)* ii enim nullum distinctum constituunt forum, sed quum judicia exercent, ipsammet Episcopi personam, veluti pro Tribunali sedentem, sustinent: uti *supr. Lib. I. Tit. XXVII.* Non dissimili ratione Sedis Apostolicæ Legati (quorum usus sæculo XII. primum ex Jure Civili in Ecclesiasticum inductus est) etiam Ordinarii censentur: licet enim eis auctoritas ex speciali R. Pontificis delegatione sit impertita; attamen, quia *immediate* Pontificis gerunt vices, universamque exercent jurisdictionem, Ordinarii adpellari consueverunt.

IV. Igitur Judex Delegatus ab Ordinario distinguitur, tum quod jurisdictionem neque propriam habet, neque suo nomine exercet, tum verò præcipue, quod munus suum alteri demandare nequit; nisi tamen sit delegatus à Papa: *Capit. 27. de officio et potestate Judic. Deleg. (**)* et *Leg. XIX. Tit. IV. Partit. III. (*)* Sicut enim jure Romano Judex à Principe datus judicis constituendi potestatem habebat; ita hoc exemplo R. Pontifices suis Legatis jus dandi judices denegandum non censuerunt: *Cap. 3. eodem Tit.* Quamobrem hujusmodi Sedis Apostolicæ Legati possunt non modo Clericos in dignitate constitutos, verum et ipsos Episcopos subdelegare, eosdemque, si necessitas urgeat, etiam compellere, quin et sententiarum executionem iisdem demandare: ita tamen ut in coactione mo-

(1) Apud nos à jure constitutionali confirmatum invenitur quod de Arbitris statutum fuerat à jure Partitarum.

dum servant, dignitati deferant, et personæ: *Cap. 28. eodem, et Cap. 2. eodem in VI.*

V. Ubi primum Delegatorum usus invaluit, causæ etiam in remotissimis regionibus delegari cœperunt. Verum Concilium Lateran. IV. ut litigantium commo prospiceret, cavit, *ne quis ultra duas dietas extra suam Diocesim per Litteras Apostolicas trahi possit; nisi de adsensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac Constitutione fecerint mentionem:* *Cap. 28. de Rescriptis.* Quod postea spatium ad unam dietam coarctavit Bonifacius VIII. *Cap. 11. §. 1. eodem in VI.* Hoc antiquis Canonibus quammaxime conforme est, quibus decernitur: *quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, definienda:* Syn. Carthag. an. 425. *Epist. ad Caëstinum P. S. Cyprianus Ep. 55. apud Pamelium.*

VI. Restat ut paucis complectamur, quænam personæ vel à natura, vel à jure Judicis munus suscipere, aut exercere vetentur. Ac 1. jure Judices agere nequeunt Fœminæ, quippe quæ ratione sexus incapaces sunt jurisdictionis: *Leg. II. Dig. de Reg. juris. (**)* et *Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. ac Leg. VII. Tit. IX. Lib. III. Nov. Recop. (*)*

VII. Excipe Reginas, quæ ratione eminentis dignitatis, qua pollent, in Regnis ubi hujusmodi invaluit consuetudo, jus dicere non vetantur: *Cap. 4. de Arbitris. (**)* Neque Hispaniarum legibus vetantur illustres fœminæ judicia agere, dum tamen sapientis viri consilium sibi adsciscant: *Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. (*)* Quin et Abbatisæ aliquæ (uti est Cupersanensis in nostro Reg. (**)) et celeberrima Monasterii de las Huelgas prope Burgos in Hispania (*) vel ex consuetudine, vel ex privilegio jurisdictionem non modo in suas Canonicas, vel Sanctimonialles exercent, verum et in Clericos sibi subjectos: quos etiam ab officio, et beneficio suspendere possunt: *Cap. 12. de Majoritate et Obedientia.* Excommunicationis verò censuram infligere vetantur: excommunicandi enim potestas clavium Ecclesiæ est, quæ fœminis traditæ non sunt. Eadem ratione suspensio, qua de loquitur indicatum *Capit. 12.* neque veri nominis suspensio intelligenda est, quæ æque ac excommunicatio Clavium potestatem requirit, sed simplex prohibitio celebrandi divina, fructumque subtractio.

VIII. Ex Juris præscripto à Judicis quoque dignitate arcentur Servi, et quidem quod ratione conditionis jure civili pro mortuis habentur: *Leg. CCIX. Dig. de Reg. Juris. (1) (**)* *Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. et Leg. VIII. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop. (*)* Tum etiam omnes Infames: *Can. I. et II. Causs. 3. Q. VII. (**)* præf. *Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. et Leg. VII. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop. (*)* Quinimmo non modo qui ob crimen aliquod damnati fuerint, verum et qui famosum aliquod admiserint scelus, quod notorium sit, Judices dari nequeunt: *Leg. un. Cod. de Infamibus.* Unde Hæretici, Schismatici, Excommunicati non modo Judicis officium suscipere, verum et susceptum exercere vetantur: *Can. XXXVII. Causs. 24. Q. I. Cap. 13. §. 5. de Hæreticis. (**)* In nostra Hispania neque hæretici, ut vocant, *Reconciliati*, neque filii eorum, qui ob idem crimen capite damnati sunt, usque ad secundam lineam paternam, et primam maternam Judicis officium agere possunt: (2) *Leg. III. Tit. III. Lib. VIII. Novæ Recop.* Imò neque Judæi, uti decrevit Reccaredus in Conc. Tolet. III. *Can. XIV.* et Sisenandus in Tolet. IV. *Can. LXV.* alias *LXIV.* et Alphonsus Sapiens *Leg. III.*

(1) Quidquid ab auctore dicitur de servitute seu servis atque libertis vel libertinis in Rep. Mexic. abrogatum intelligendum esse quod principiis et jure constitutionis obsistat.

(2) Filii eorum qui propter crimina infamantur à lege, ex jure constitutionis nullam infamiam vel ignominiam ferunt ad jura vel munera civilia exercenda.

Tit. XXIV. Partit. VII. ()* Id tamen est animadvertendum ex Bulla Martini V. *Ad evitandum*, excommunicatum jurisdictione non orbari, nisi fuerit denunciatus, vel publicus Clerici percussor. Adhæc et Illitterati: Judici enim ad Legum, Canonumque normam sensentia proferenda est: *Can. IV. §. 1. Causs. 3. Q. VII. (**)* Videsis *Lib. I. Tit. X. cap. 4. Collect. Tarracon. an. 1591. et Leg. IV. Tit. I. Lib. II. Novæ Recop.* Unde Jure nostro Regio cautum est, ne quis Judex instituat, qui decem publici Juris studii annos non peregerit: (1) *Leg. II. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop.* Et Syn. Trident. *Sess. XXIV. Ref. cap. 16.* decrevit, ut eligendus in Vicarium Generalem sit laurea Juris donatus, vel aliunde idoneus judicetur. Id quod confirmavit Syn. Tarrac. an. 1591. in *Collect. Lib. I. Tit. X. cap. 4.* Postremo à Judicis munere arcentur Regulares, quorum est solitariam vitam agere, et à fori contentionibus prorsus sejunctam: *Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. (*)*

IX. Ab natura demum Judices agere nequeunt Surdi, Muti, Furiosi, Mentecapti, Impuberes: (**)
Leg. IV. Tit. IV. Partit. III. et Leg. VII. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop. ()* Videsis Gonzalezium ad *Cap. 13. de Rescriptis.* At si de Minoribus quæras; aliud Jure Civili, aliud verò Jure Canonico obtinet. Jure enim Civili quicumque 18. annum explevit, potest Judex constitui: (**)
Jure tamen hodierno Hispano viginti et sex annorum ætas ad minus in Judice requiritur: *Leg. II. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop. (*)* At Jure Canonico nonnisi vigesimo anno expleto potest quis judicem agere: *Cap. 41. de Offic. et Potest. Judicis Delegati.* Tantummodo ex partium consensu poterit Judex eligi is, qui quamquam 20. annum non pertigerit, 18. tamen jam compleverit: *indicato Cap. 41.*

X. Judici, uti modo innuimus, non pro lubitu, sed ad Legum, Canonumque normam sententia est proferenda: quippe qui legum minister est, non arbiter: (2). et cavere debet, ne vel ob juris imperitiam, vel quia partium studiis addictus, vel quia dona acceperit, aliter judicet, quam legibus, aut moribus est proditum: *Leg. XIII. Cod. de Sentent. et interloc.* Unde in *Novell. CXXVI. cap. 1.* jubentur judices ex legum præscripto suffragium dare. Et Augustinus in *Lib. de vera Relig. cap. 31. Quum fuerint leges instituta, et firmate, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas.* Potest sane Judex verba legis si duriora videantur, æquitate quadam flectere, ut legislatoris voluntatem custodiat: quinimmo id facere jubetur: *Leg. XVIII. Dig. de Legibus.* At ubi et verba legis sunt perspicua, et Legislatoris mens pateat, ab ipsa lege ne latum quidem unguem judici est recedendum.

XI. At quid si judici liquido constet falsitate aliqua, vel testium, vel instrumentorum bonam causam lædi? Erit ne excusatus in foro animæ, ubi secundum adlegata, et probata eum condemnat, quem secundum privatam scientiam scit esse innocentem? ita docuerunt quamplures ex Canonistis. Verum tutius aliis videtur, quorum sententiæ nostrum calculum addimus, ita ex actis, et probatis judicem judicare debere, ut tamen nunquam judicet contra conscientiam. Qui enim secundum ea, quæ probantur, judicare unquam quiverit, qui judicabit contra conscientiam? Profecto probare Latinis tantundem est, ac fidem facere. Cui autem fides facienda, nisi Judici? Huic enim eorum, quæ adlegantur, examen mandatum

(1) Consuetudo contraria à legibus patriis recepta est, quoniam sex annorum studium sufficit.

(2) In sententiis ferendis juxta l. 2. tit. 16. lib. II. Noviss. Recop. judices procedere debent attentè veritate, qua de ipsis actis judiciariis constat, et inasper habitis solemnitatibus quæ ad rei substantiam non attinent.

est, et quidem ea conditione ut ex animi sententia decernat: *Lege III. §. 2. Dig. de Testibus;* et prout religio suggerit: *Lege LXXIX. Dig. de Judiciis.* Jam verò, si ea, quæ adlegantur, pugnent, cum scientia Judicis, fidem Judici facere non poterunt, quum falsa sint; et religione, metuque justissimi Numinis prohibebitur secundum ea judicare. Una enim, et simplex est veritas: ac proinde dividi conscientia, aut scientia Judicis in publicam, ac privatam non debet. Igitur divino, humanoque juri magis consentaneum videtur, ut si Judex talis sit, à quo nulla detur provocatio, in quæstione facti est animi sententia, religione, et conscientia pronantiet, veritatemque adserat, spretis testimoniis, quamvis ipse solus falsa ea esse certò sciat. Sin verò is Judex est, à quo provocari jus sit, satius erit eum à judicando abstinere, et testimonio suo, quantum in se est, causam ejus, cui injuria fit, apud Judicem Superiorem adjuvare, ne temere publica testimoniorum spernatar auctoritas, aut aditus pateat pravis hominibus, qui aliquando studio gratificandi falsum deponant. (1).

(**) XII. Adhæc Judici maximè cavendum est, ne se muneribus, et donis devinci patiatur; munera enim excæcant oculos sapientum, et mutant verba justorum: *Deut. XVI. v. 19.* Impossibile pæne est, ut judex munusculis inescatus à partium studio, quod est potentissimus justitiæ inimicus, sit penitus alienus. Jure nostro Regio in ejusmodi judices perpetuæ privationis officii pœna, et multa pecuniaria dupla recepto dono majori animadvertitur: *Leg. V. Tit. IX. Lib. III. Novæ Recop.* Hispaniarum quoque Patres munerum receptionem in judicibus quam strictissime inhibitam voluere: Syn. Tarracon. an. 516. *Can. X. et Compostell. anni 1056. Cap. V.* sed præsertim in Hispal. anni 1512. *Cap. LX.* quæ decernit, ut judices Ecclesiastici non percipiant retributiones directe, nec indirecte provisione processuum, nec decissione illorum. Et Tolet. an. 1582. *Act. III. Decr. 26. alias 27.* quæ anteacta omnia legum, et Canonum hac in re constituta decreta ita confirmat: *Profanis, sacrisque Legibus interdictum est judicibus omnibus, ne se muneribus corrumpi patiantur, quo liberiores sint ad suum jus cuique tribuendum. (*) (2).*

(**) XIII. Verum non ideo interdicta velimus, intelligas, jura illa, quæ cum Ecclesiastici, tum Sæculares Judices quasi in muneris, et laboris compensationem solent accipere, quam quidem haud recentem consuetudinem probavit *Collect. Tarracon. an. 1591. Lib. I. Tit. X. cap. 2.* Judices tamen Ecclesiastici in juribus percipiendis, omninò servare tenentur taxam in Regno constitutam, vel à Supremo Castellæ Senatu adprobatam: *Lege XXVII. et XXXIII. Tit. XXV. Lib. IV. Novæ Recop. (*) (3).*

CAPUT OCTAVUM.

DE ACTORE, ET REO.

I. Actor, et Reus litigatores sunt, inter quos res agitur, et quorum ille est, qui litem intendit, hic qui excipit. Igitur qui adversarium in jus vocat Actor dicitur: (4) *Lege XIII. et LXII. Dig. de Judiciis.* Non secus ac Fœmina, quæ jus suum

(1) Quæstio quam movet auctor jam resoluta est per legem Noviss. in num. precedentè citatam.

(2) Vide notam II in hunc tractatum.

(3) Super hoc non præter casum erit etiam in memoria tibi esse leg. 3 lib. 2 tit. 15 Noviss. et notam ejus quæ ad calcem extat.

(4) Etiam idem est in l. 1. tit. 2 part. 3.

in foro experitur, Actrix dicitur: *Leg. XLI. Cod. de Liber. caus.* Ast quamquam jure civili neque minor sine tutoris consensu, neque filius familias præter patris voluntatem agere plerumque possit; uterque tamen jure canonico in causis beneficiariis, spiritualibus, iisdemque adnexis agere liberrime potest: (1) *Cap. fin. de Judicis in VI.* Monachus sine Abbatis venia agere vetatur, nisi ex peculiari ejusdem facultate extra Monasterium suam vitam traducat. (**). Jus civile nostrum quod spectat, tam Actorum, quam Reorum munia accipere prohibentur filii familias absque parentum licentia nisi pro bonis castrensibus, vel quasi, aut absente patre: *Leg. VI. Tit. XVII. Part. IV.* uxores sine mariti venia: *Leg. II. Tit. III. Lib. V. Novæ Recop.* Regulares præter Superiorum facultatem: *Leg. X. Tit. II. Partit. III.* et viginti quinque annis minores absque auctoritate curatoris: *Leg. VII. et XI. ejusdem Tit. et Partit.* (*) (2).

II. Qui in causis criminalibus adversus aliquem actionem intendit, proprie dicitur accusare: scilicet judiciis criminalibus publicis, vel extraordinariis experiri, crimenque deferre. Quid quod jure canonico accusare, et denuntiare non unum idemque sunt? Accusat enim, qui reum Judici deferens ultionem exposcit, et pœnam vult ei infligi; denuntiat verò, qui criminis quidem Episcopo defert, non tamen eum publice puniri amat, sed tantum ejus emendationem quærit ope Episcopalis redargutionis. Quamobrem denuntiationem præcedere semper debet privata, et amica monitio: *Cap. 2. de Accusat.* Ad hæc denuntiatio necessum non est, ut in scriptis fiat cum inscriptione actionis, ac nominis denuntiatoris ad subeundam talionis pœnam, si à congrua criminis probatione deficiat: *Cap. 16. de Accusat.* quæ omnia accusationem constituunt: *Can. III. et IV. Caus. 2. Quest. VIII.* sed dumtaxat per illam Superiori via sternitur ad inquisitionem, de qua mox. Hic obiter adnotandum, pœnam talionis obsolevisse ea de causa, quod homines ab accusando deterreret.

III. Accusatio unius est generis; at Denuntiatio in multiplices formas dividitur: ac I. in *Judicialem, Evangelicam, et Canonicam.* *Judicialis* dicitur, quæ publico defertur Judici non modo, ut reus, corrigatur, verum etiam ut debita pœna ad publicam utilitatem multetur. Et hæc profecto parum ab ipsa differt accusatione: quare hujusmodi denuntiatori crimen ex parte saltem probandum est, licet pœnam nullam subeat, si in probatione deficiat; nisi apertum infesti calumniatoris animum prodiderit: *Cap. 2. de Calumniat. Evangelica* est, quæ unius denuntiatori utilitatem respicit: recte hoc donatur nomine; siquidem per Evangelium præcipitur: *Math. XVIII. v. 15.* *Canonica* demum dicitur, quum quis Canonicarum pœnarum metu aliquid Ecclesiastico Superiori detegit: e. g. alicujus matrimonii impedimenta, ad quæ Episcopo, vel Parocho detegenda quisque per publicas parochialis proclamationes adigitur: *Cap. 13. de Despons. impub.* Trident. *Sess. XXIV. Reform. Matrimonii cap. 1.*

IV. Dividunt rursus Judicialem denuntiationem in publicam, et privatam. Publica est, quum Episcopus in Synodo Diocesana peculiarem constituit magistrum ad inquirendum in crimina Diocesanos, qui ea sibi in futura Synodo deferat, ut criminosos corrigere, ac punire possit: *Cap. 25. de Accusat.* (**). Hanc Lateranen-

(1) Hoc non est secundum jus ecclesiasticum Indiar., quia per tert. Conc. Mexico lib. 2 tit. 1 § 4 de ord. judicior. contrarium statuitur, hoc est, ut nullus, in judicio esse possit, nisi major viginti quinque annis sit.

(2) Ex jure nostro constitutionali ad aliquem in jus vocandum civiliter vel criminaliter propter injuriarum causam præire necesse est actum præparatorium quæ conestatio dicitur.

sis Concilii sub Innocentio III. Constitutionem, quæ de ministrorum electione in Provincialibus Synodis tantum loquitur, ad uniuscujusque Episcopi Diocesanos indixerunt Hispaniarum Patres, quos ministros, nomine *Synodalium Testium* designabant: Conc. Arand. ad Dur. an. 1473. Can. XXIX. *Statuimus, ait, ut per nos, et Suffraganeos nostros Viri providi, fideles, et honesti deputentur ultra provinciales testes per nos, et Coepiscopos nostros in Conciliis designandos, qui sine judiciali cognitione solcite inquirent per easdem Dioceses, quæ viderint corrigenda, et reformanda, eaque fideliter Diocesanis denuntient.* Consonant duæ Syn. Tolet. an. 1565. *Act. III. cap. 28.* et an. 1582. *Act. III. Decret. 50.* alias 52. (*) Privata dicitur, quum quis alterius crimine læsus, veluti perjurio, violato fœdere &c. prius infestum hominem monet; dein, ubi nihil privata monita proficere perentiscat, Episcopo illum denuntiat: *Cap. 13. de Judiciis.*

V. Quum Judicialis denuntiatio parum ab accusatione differat, quotquot jus ab accusatione non prohibet, iidem et denuntiare rectè poterunt. Sed non omnium accusatio indiscriminatim recipitur; accusare enim jure vetantur infames, criminosi, pupilli, mulieres &c. (**). *Leg. II. Tit. I. Partit. VII.* (*) At de his opportunus in *Institutionibus Civilibus.* Jus nostrum quod peculiariter spectat, criminalem actionem intendere Clerici, et Monachi vetantur, nisi injuriam sibi illatam ulcisci velint; at simul contestentur se ab sanguinis pœna prorsus esse alienos: *Cap. 2. de Homicid. in VI.* Vetatur ex diverso laicus Clericum accusare ob reverentiam eorum dignitati debitam: *Can. I. et II. Caus. 2. Quest. VII.* ni et laicus injuriam sibi, suisque illatam persequatur: *Cap. 14. de Testibus.* (**). Vetantur quoque Fisci nisi prævia delatione aliquem accusare, exceptis criminibus notoriis, vel in quibus de mandato Principis inquisitio præcesserit: *Leg. III. Tit. XIII. Lib. II. Nov. Recop.* Id quod confirmatur Syn. Tolet. an. 1565. *Act. II. Cap. 12.* et Compostell. ejusd. anni *Act. III. Decr. 23.* (*)

VI. Sunt tamen atrociora quædam crimina, ad quæ deferenda etiam alias non idonei admittuntur: uti Sacrilegium: *Leg. X. Cod. de Episcop. et Cleric.* Delicta læsæ Majestatis: *Leg. VII. et VIII. Dig. ad Leg. Jul. Majest.* (**). et Syn. Tolet. VI. *Can. XI.* (*) Simonia: *Cap. 7. de Simonia.* (**). Incestus: *Leg. II. Tit. XVIII. Part. VII.* Apostasia: *Leg. VII. Tit. XXV. ejusd.* Hæresis: *Leg. II. Tit. XXVI. ibid.* Raptus, si propinqui mulieris accusare noluerint: *Leg. II. Tit. XX. ead.* Sodomia: *Leg. II. Tit. XXI. ejusd.* Lenocinium: *Leg. II. Tit. XXII. ead.* Magia: *Leg. III. Tit. XXIII. ibid.* (*)

VII. Adhuc est et tertia in causis criminalibus procedendi ratio, scilicet per inquisitionem. Nimirum ubi Judex nullo accusante, vel judicialiter denuntiante, in crimen aliquod ex officio inquirat, tum per Inquisitionem procedere dicitur. Porro uti Accusationem inscriptio, Denuntiationem benevola monitio, ita Inquisitionem præcedere debet clamosa insinuatio: fama scilicet, seu publicus rumor, et is non levis, qui facinorosum Judici veluti denuntiare videatur: *Cap. 21. §. 1. Cap. 24. de Accusat.* et *Cap. 31. de Simonia.* Atqui hoc de speciali dumtaxat Inquisitione intelligas; nempe ubi contra certam personam certo quodam de crimine Inquisitio instituitur: dicto *Cap. 24. de Accusat.* et *Leg. XIII. Dig. de Officio Præs.* Est enim et Inquisitio Generalis, qua scilicet Præsides inquirat, num in sua Provincia sint homines facinorosi: *dicta Leg. XIII. et Cap. 24. de Accusat.* Est demum et Inquisitio mixta; scilicet, quum homine quodam occiso, Judex in homicidam inquirat; vel quum de certa aliqua persona generatim inquiratur, num crimen aliquod perpetraverit; veluti ubi quis ad publicum quoddam munus, vel dignitatem est promovendus: *Cap. 7. et 19. de Elect.* (**). In nostro Regno Judices

licet possint ex officio Inquisitionem quorumlibet criminum instituere: *Leg. I. Tit. I. Lib. VIII. Nov. Recop.* attamen vetantur generalem Inquisitionem, et clausam adversus Civitatem, Villam, vel Locum facere, nisi de mandato Regis id præstiterint: *Leg. III. ejusd. Tit. et Lib.* tuncque ad ipsum processum transmitti debet, ut examen eorum, quæ in Inquisitione continentur, quos elegerit suscipiant: *Leg. IV. ejusd.* Insuper vetitum est Judicibus ne Inquisitionem Alguacellis, et Notariis committant; sed ut per se ipsos quum opus fuerit, munus hoc diligenter exercent: *Leg. XI. ibid. (*)*

ARTICULUS I.

DE REO.

VIII. Antiquitus tam qui agebat, sive petebat, quam qui accusabatur, sive in quem agebatur, Rei adpellabantur: unde Cicero Lib. II. de Orat. *Reos adpello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur.* Et Festus Lib. III. *Contestari est, quum uterque reus dicit: Testes estote.* Vulgò tamen usu nunc obtinet, ut sicuti qui agit Actor dicitur, ita is solus, cum quo agitur, Reus dicatur, et quidem *per excellentiam*, quia de re ejus præcipue judicio agitur, vel cui solum periculum imminet condemnationis.

IX. Reus, ubi legitimè à Judice interrogetur, (1) in caussa æque civili, ac criminali, num teneatur veritatem fateri, quæstio est jamdiu in Scholis agitata. Verùm sanioris doctrinæ Theologi, et Canonistæ cum S. Thoma *Secunda Secundæ Q. LXIX. art. 1.* docent, ejusmodi reum veritatem dicere, propriumque crimen prodere omninò teneri; sin secus, graviter peccare. *Pertinet ad debitum justitiæ, inquit S. Thomas, quod aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ jus prælationis se extendit: Judex autem superior est respectu ejus, qui judicatur: et ideo ex debito tenetur accusatus judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat.* Porrò si Judex non legitimè interrogat, veluti quum interrogat de crimine occulto, reus veritatem fateri non adigitur, *sed potest vel per adpellationem, vel aliter licite subterfugere:* S. Thomas *ibid.*

CAPUT NONUS.

DE EPISCOPALIS CURIÆ ADMINISTRIS.

I. Præcipui Curie Episcopalis Administris sunt Officialis, Adessor, Advocati, Procuratores, Advocatus Fiscalis, et Scribe, seu Graphiarii. De Officiali, h. e. Vicario in temporalibus satis *Lib. I. Tit. XXVII.* de reliquis hic breviter.

ARTICULUS I.

DE ADSESSORE.

II. Adessor ita dictus ex eo, quod Magistratui pro tribunali sedenti veluti adsideret, et in caussis discutiendis suo consilio eum dirigeret; unde etiam *Consiliarius* adpellari consuevit: *Leg. V. Dig. de Offic. Adsess.* Quum enim Magistratus jurisprudentiam profiteri non necessario debuisset; indigebat sanè opera juris

(1) Vide notam III. in hunc tractatum.

periti, qui sua prudentia, et consilio eum in Judiciis ferendis veluti manuduceret, atque ita rectè munus suum obiret: *Leg. II. Dig. Quod quisque juris in alter. statuer.*

III. Magistratum civilium exemplo permoti cæperunt et ipsi Prælati Ecclesiastici, qui jure ordinario, vel delegato judicandi potestate fruerentur, in caussarum cognitione sibi Adsessores adsciscere; tum præsertim quum forensis judiciaria methodus in Curias Ecclesiasticas invecta est: Syn. Cantuar. *Can. XXVII.* At quia Judices non raro, nec sine contententium partium gravamine, Adsessores, ac etiam plures sibi adjungere consueverint; hinc Bonifac. VIII. *Cap. 11. §.* Adsessorem *de Rescriptis in VI.* sanxit, ut *Judex Adsessorem [ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter] nisi eo indigeat, quod conscientia relinquitur eidem, sibi nequaquam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat... faciat a partibus communiter provideri. (**)* In nostris Ecclesiasticis Tribunalibus exolevit jamdiu Adessoris munus, quum ex Tridentini, et nostrorum Conciliorum præscripto, in Vicarium Generalem eligendus non sit, nisi qui Doctor, vel Licentiatius fuerit in Jure Canonico, vel alioqui idoneus censeatur. Quocirca in Collect. Tarracon. an. 1591. *Lib. I. Tit. X. cap. 4.* ita constituitur: *Sæpe contingit... ut is Officialis Generalis, ad quem decidere causas Ecclesiasticas spectat, eligatur, qui Juris Canonici sit omnino ignarus; quo fit, ut Adessore in Jure perito indigeat, quem sæpe mere laicum esse constat, quod quam indecorum sit, nemo est, qui non videat. Quamobrem sacri approbatione Concilii omnibus nostræ Provinciæ Episcopis, et Locorum Ordinariis præcipimus, ut deinceps... nec eos [Vicarios Generales, et Officiales] eligant... qui non fuerint aut in utroque Jure, aut in altero saltem graduati. (*) (1)*

ARTICULUS II.

DE ADVOCATIS.

IV. Advocati ita dicti ab advocando: quum enim quis in jus vocabatur, aut invitatus ad illud rapiebatur, Jcti plerumque advocabantur, qui causam, si ipsi litigantes nolent, aut non possent, proponerent, defenderent, aut eis succurrerent: *Cicer. de Orat. III. cap. 35.* Antiquo Ecclesiæ jure litigantes non per Advocatos, sed per semetipsos actionem coram Judice Episcopo edebant, atque adeo etiam post novam judiciariam methodum in Ecclesiast. forum invectam hoc ab Innocentio III. præscriptum invenimus: *Cap. 14. de Judiciis.* Attamen usus invaluit, ut plerumque fori expertes litigantes Advocatorum clientelæ se commendent. (**)

Unde neque in Foro nostro Ecclesiastico petitiones juris admittuntur, nisi subscriptas ab aliquo avvocato, et in Curia Matritensi, ab eo qui in Regium Advocatorum Collegium relatus sit: *Sanct. XIII. Tit. XVI. Lib. II.* vulgò *Autos Acorrados.* (*) (2)

V. Quamobrem Advocati munia sunt: 1. Caussarum, quas defendendas suscipiunt, prius naturam penitus introspicere, et de ipsarum jure adprime instrui, (**)

et quidem per semetipsum: *Leg. III. Tit. XVI. Lib. II. Novæ Recop. (*)*

2. Mox Clienti aperte exponere, num justa sit, an injusta lis, quam adgredi tentat.

(1) Vide notam IV. in hunc tractatum.

(2) Suppetunt huic num. II. 3. tit. 22. lib. 5. Noviss. Recop. et 8. tit. 24. lib. 2. Recop. Indiar.